



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 4. An sit clavis regni cœlorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

20
Potestatem
ordinis &
iurisdictionis
non esse
sua distinctio-
nem.

Potestatem
iurisdictionis
non dari
ex ordina-
tionis.
D. Thom.
Sed ab ho-
mine con-
ferri.

Ex his ergo satis constat primo, has potestates esse in re ipsa distinctas, eo modo, quo in his rebus moralibus potest inueniri huiusmodi distinctio. Patet, quia sunt mutuo separabiles; nam & potestas ordinis potest sine iurisdictione inueniri, & iurisdictione sine potestate ordinis, vt satis declaratum est: hoc autem est signum realis distinctionis, vt ex Metaphysica constat. Secundo constat ex dictis, potestatem iurisdictionis non dari ex vi ordinationis Sacerdotis: in quo etiam & potestate ordinis differt, quae per sacramentum datur: & ideo potestas sacramentalis appellatur à D. Thoma 2. 2. q. 39. arti 4. vbi alteram potestatem, quam vocat, iurisdictionalem ex simplici inunctione hominis, conferri dicit, & ideo esse mutabilem, quod non habet prior potestas. Hoc autem intelligendum est de potestate iurisdictionis quatenus est in omnibus inferioribus Summo Pontifici: nam in illo non est per inunctionem hominis, sed immediate à Christo. Quanquam enim Summus Pontifex ab hominibus eligatur, & ante illam electionem iurisdictionem non habeat: nihilominus illam non recipit ab electoribus, sed à Christo, facta legitima electione. Et ideo, quamuis illa etiam iurisdictione Summi Pontificis non detur per impressionem characteris, nec per aliquod visibile signum, vel sacramentum praeter hominum electionem, nihilominus immutabilis est per omnem humanam potestatem, eo quod & ab ipso Christo, & super omnes homines collata sit. De qua re in materia de fide disputari solet, & fortasse in materia de Ordine illam attingemus, explicando Ecclesiasticam Hierarchiam. At vero infra Summum Pontificem, verisimilium vniuersaliter censet, quod D. Thomas dicit, dari hanc potestatem per inunctionem hominum secundum ordinarium Ecclesiae cursum, siue detur per delegationem, in qua est res manifesta: siue detur ex officio, & tanquam ordinaria potestas, vt datur Episcopis, vel Parochis, de quibus iterum dicemus infra agentes de ministro.

Apostoli vnde iurisdictionem in foro penitentiae habuerunt.

30
Primaopi-
no.

31
Apostolos
immediate
accepisse à
Christo po-
testatem iurisdictionis.
Vnde senten-
tia.

Bellarmin.

32

Dixi autem secundum ordinarium Ecclesiae cursum, quia de Apostolis, qui extraordinarie fuerunt electi ad illam dignitatem, dubitari solet, an illi habuerint hanc iurisdictionem immediate à Christo, an mediante Petro. Multi enim existimant, etiam Apostolos tantum accepisse à Christo potestatem ordinis immediate, vel in corpus Christi verum in nocte Coenae per illa verba, *Hoc facite*, vel in corpus Christi mysticum, post resurrectionem, per illa, *Accipite Spiritum sanctum*: iurisdictionem autem non recepisse immediate à Christo. Non enim per illa verba, *Accipite Spiritum sanctum*, & c. alias omnes sacerdotes per hanc verba illam recipere: nec per alia, quia soli Petro dictum est Ioan. 21. *Pascue oues meas*: per quae verba solus Petrus iurisdictionem in vniuersam Ecclesiam accepit. Ego vero probabilius censeo, omnes Apostolos immediate habuisse à Christo potestatem iurisdictionis, non iure ordinario permansuram in Ecclesia, quod proprium fuit Petri: nam haec fuit specialis promissio illi facta Matth. 18. & impleta Ioan. 21. sed iure quasi delegationis, & Apostolarum, quod munus immediate à Christo acceperunt: & ad illud inter alia pertinet haec iurisdictione. Vnde etiam probabile est hoc factum esse in illo loco Ioan. 20. non quidem ex vi illorum verborum, *Accipite Spiritum sanctum*, & c. vt futura erant forma sacramenti Ordinis ex parte sed ex peculiari intentione Christi significata etiam illis verbis, *sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos*. Vide Bellarminum libro 4. de Summo Pontifice, c. 22. & 23.

Fundamentum primae sententiae ex proxime di-

Actis solutum est. Specialia etiam fundamenta, quae pro variis modis explicandi tertiam sententiam retulimus, inter illos confutandos expedita fuere. Solum ergo superest, vt illas obiectiones dissoluamus, quas contra secundam sententiam à nobis probatam, proposuimus. Quorum primum sumebatur ex significatione & efficacia illorum verborum Christi, *Accipite Spiritum sanctum*, & c. nos vero dicimus per haec verba dari sacerdotibus veram potestatem per se, & in suo ordine sufficientem ad remittenda peccata subditorum, quando illos habuerint; non vero dari iurisdictionem seu subditos. Cum vero dicitur illa potestas esse iudiciaria, & per illa verba constitui sacerdotes iudices. Respondemus, vocari iudiciariam, quia non potest suum actum exercere, nisi per modum iudicij; non vero quia se sufficit ad ferendum iudicium sine potestate iurisdictionis: vnde ex vtraque potestate completur integra facultas ad perfectum actum huius iudicij, qui & prolationem, & executionem sententiae includit, vt supra declarauimus. Et cum eadem moderatione intelligendum est, cum dicuntur sacerdotes constitui iudices ex vi ordinationis: solum enim aptitudine id verum est, non actu, quia ex vi solius ordinationis non habent ius ad ferendam sententiam, sed habent praecipuam potestatem operatiuam in tali sententia, ratione cuius soli sacerdotes sunt deputati ad ferendam sententiam in hoc iudicio, si accedat iurisdictione. In quo fatemur, sacerdotes habentes solam potestatem ordinis, quandam similitudinem habere cum iudicibus Chartularijs; tamen illi etiam ex vi solius designationis Imperialis non erant simpliciter iudices neque in iure ita appellantur, sed tantum secundum quid, scilicet aptitudine: neque habebant iurisdictionem, cum nullum eius actum exercere possent, donec partes se illis submitteret. Vnde re ipsa & in modo iurisdictionis conueniebant cum iudicibus arbitris; solumque differebant, quia ex providentia Imperatorum etiam illi designabantur, & quasi approbabantur, qui eligi poterant ad ferendum arbitrium iudicium. Et in hoc est magna dissimilitudo inter eos & sacerdotes, vt ex dictis constat.

Soluntur
obiectiones
contra se-
cundam sen-
tentiam

Vide in Co-
dice, & c. de
his iudici-
bus.

Secundum argumentum in eo fundabatur, quod iuxta nostram sententiam possent sacerdotes dicere se absolueri autoritate Summi Pontificis. Sed hoc parui momenti est, quia solum spectat ad loquendi modum. Vnde, si quis per ea verba solum significare se absolueri per iurisdictionem acceptam à Summo Pontifice, non excludendo praecipuam virtutem, & potestatem acceptam à Christo, nec falsum diceret, nec multum in eo peccaret, secluso scandalo. Respondetur tamen negando sequelam, quia dum sacerdos profert hanc sententiam, non solum profert illa verba vt declaratiua iuris, vt sic dicat, quod commune est aliis sententis: sed vt efficacia eius effectus, quem significant, quod habent ex potestate ordinis quatenus est virtus Christi, cuius personam gerit sacerdos: & propterea dicere potius debet se absolueri autoritate Christi. Et ideo non est simile, quod assertur de sententia excommunicationis, & aliis huiusmodi. Accedit etiam, quod potestas iurisdictionis, licet per Pontificem conferatur, principaliter manat à Christo, à Pontifice vero solum vt à Vicario eius: & ideo etiam simpliciter in Christi autoritate fit hoc iudicium. Tertium argumentum erat de absolutione Summi Pontificis: sed de illo satis dictum est pro huius loci occasione, nam infra in proprio loco iterum occurret.

33
secunda scilicet

SECTIO IV.

Vtrum haec potestas remittendi peccata sit clavis regni celorum, vna, vel plures.

Ratio dubitandi esse potest, quia in Euangelio nunquam videtur haec potestas significari nomine clavis

Ratio dubi-
clavis
regni.

Cicil.

clavis regni caelorum. Nam Matth. 16. ubi promittuntur claves Petro, sermo est de suprema potestate Pontificia ad gubernandam Ecclesiam, quae alterius ordinis, & excellentior est, quam potestas ligandi, & soluendi, ut late prosequitur Caietanus tom. 1. Opus tract. 5. de potestate Summi Pontificis. Et ita illa promissio non Ioan. 20. sed Ioann. 21. impleta est illo verbo, *Pasce oves meas.* Rursus Matth. 18. promittuntur Apostolis, & in eis Ecclesiae, claves regni caelorum: tamen, ut ex contextu constat, ibi non est sermo de potestate in foro sacramentali, sed de potestate in foro contentioso ad ligandum per leges, poenas, & censuras, & soluendum ab illis iuxta illa verba, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & c.* Accedit quod haec potestas, de qua agimus, unica tantum est: at vero claves a Theologis plures distinguuntur, & quaedam vocatur clavis scientiae, alia potentiae; quae non videntur posse ad potestatem, de qua nunc agimus, accommodari. Haec proposita sunt solum, ut explicemus hanc metaphoram, & modos loquendi Theologorum in hac materia. Et ut semel indicemus materiam de clavis non indigere speciali expositione, sed partim in hac materia, partim infra in materia de indulgentiis, & censuris declarari, omisis illis, quae specialiter pertinent ad tractatum de Summo Pontifice, & de quo in materia de fide differitur.

Potestatem remittendi peccata recte per metaphoram clavis significari.

ASSERTIO I.

Dicendum ergo est in primis potestatem hanc ad remittenda peccata in foro poenitentiae, recte per metaphoram clavis regni caelorum significari, seu sub illa comprehendi. Haec assertio colligitur ex Conciliis, Florentino, Constantiensi, & Tridentino supra citatis, & ex Extravag. Ioann. 22. supra etiam citata, & ex usu Theologorum, & expostorum Matth. 16. & 18. Et declaratur breuiter, primo exponendo hanc metaphoram *clavis*: certum est enim vocem hanc non in significatione propria, sed metaphorica in praesenti usurpari. Est enim clavis veluti facultas quaedam ad aperiendum, & claudendum, & inde translata est haec vox ad significandam potestatem Ecclesiasticam ordinatam ad regendas, & disponendas animas, ut regnum caelorum consequantur. Et hoc modo dicitur ipse Christus Apocal. 3. habere clauem David. Et de eodem praedictum fuerat (exponente Hieronymo) Esai. 22. *Dabo clauem David super humerum eius*: illa enim clavis erat potestas excellentiae seu, principatus, qui factus est super humerum eius, Isai. 9. cuius participatio est potestas, seu clavis Ecclesiae. Vnde Chrysostr. hom. 55. in Matth. dicit, claves Petro promissas, significare magnam potestatem, & donum ineffabile. Et hom. 83. inquit, *Claves regni caelorum ei concessit, totamque potestatem ei commisit.* Et ad eundem modum loquitur S. Maximus homil. 5. de Sanctis Petro, & Paulo. Vnde Beda Ioan. 21. circa finem, *Ecclesia, inquit, qua fundatur in Christo, claves ab eo regni caelorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi, soluendi, peccata.* Et Fulgentius lib. de fide ad Petrum, circa medium, dicit, poenitentiam prodesse, si fiat in Ecclesia, cui Deus in persona S. Petri potestatem ligandi, & soluendi tribuit. Et hoc idem, (ut obiter notetur) voluit Augustin. tract. 50. in Ioannem, cum dixit, Petrum, cum illi commissae sunt claves, Ecclesiam representasse, scilicet, quia toti Ecclesiae in ipso datae sunt, non quia corpori Ecclesiae immediate sint datae, sed capiti propter totum corpus: ut ex eodem etiam sumitur sermone 124. de tempore. Et de eadem potestate explicuit hanc metaphoram idem Augustinus libro 20. de Ciuitate. capit. 9. iuncto alio loco ex libro 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum, cap. 17.

Extravag. Ioan. 22.

Apocal. Esai.

Chrysostr.

S. Maximus. Beda. Fulgent.

August.

Deinde obseruandum est, sicut potestas haec Ecclesiastica multiplex est; ita etiam metaphoram clavis varie accipi posse, seu in ordine ad diuersos actus. Quia vero haec dicitur esse non quaecumque clavis, sed regni caelorum; ideo ex varia significatione, vel acceptance regni caelorum, etiam metaphoram clavis diuersam significationem habet, ut dicemus. Secluis vero alii significationibus, regnum caelorum in omni proprietate & rigore significat Ecclesiam triumphantem, seu aeternam beatitudinem, quae clauditur homini per mortale peccatum; aperitur autem per remissionem eiusdem peccati: & ideo potestas remittendi, vel retinendi haec peccata optime per metaphoram clavis regni caelorum significatur: quia clavis est potestas seu facultas quorundam, cuius actus sunt aperire, & claudere. Vnde potestas clauium sic definitur soler ex decreto Ioan. 22. supra, *Est potestas, qua iudex Ecclesiasticus dignos admittit ad regnum caelorum, & repellere indignos*: Quae definitio optime in hanc potestatem conuenit. Dices: Eadem ratione posse hanc potestatem clauem inferni appellari. Respondetur in primis, in metaphoricis locutionibus non esse inconueniens, ut sub diuersis rationibus voces, quae videntur contrariae, eidem rei accommodentur: sicut Christus & leo, & agnus dicitur. Deinde non est similis ratio: quia quod per se intenditur per hanc potestatem, est apertio regni caelorum: vnde hoc tantum fit directe per se, ac positive per illam: claudere autem regnum solum fit prius tunc non aperiendo, idque quasi praeter intentionem, ad hoc cogente malitia ipsa peccatoris. Praeterea regnum caelorum est tanquam terminus, ad quem tenditur ex vi huius potestatis; in infernum autem est terminus a quo receditur: & ideo magis ab illo, quam ab hoc denominatur.

Potestatem hanc, licet adaequate sit vna, secundum diuersos conceptus nomine plurimum significari.

ASSERTIO II.

Secundo dicendum est, licet haec potestas adaequate sit & complete vna, tamen secundum diuersos respectus seu conceptus nomine plurimum clauium significari. Prior pars asseritur ab Ambrosio lib. 1. de poenit. cap. 2. & est per se nota ex dictis de actibus huius potestatis. Altera vero posita est ad explicandos Theologos, qui communiter ita loquuntur: quod fortasse inde ortum est, quia Christus Dominus de clavis regni caelorum semper in plurali locutus est. Posset autem illa distinctio breuiter declarari per ordinem ad actus aperiendi, & claudendi: sed hoc non est adeo in usu, quia reuera non est ita proprium: nam vna & eadem clavis materialis ad vtrumque actum deseruire solet. Aliter ergo Theologi distinguere solent in hac potestate clauem scientiae, & potentiae: quae distinctio solet maxime accommodari ad vniuersalem potestatem spiritualem, quae est in Ecclesia: & sic clavis scientiae dicitur in Summo Pontifice potestas illa, quam habet ad definiendas veritates fidei, & interpretandam sacram Scripturam. Nam illa etiam clavis dici potest regni caelorum, vel quia fides est fundamentum vitae, & tendentiae ad regnum caelorum: vel quia ipsa Scriptura sacra solet aliquando regnum caelorum appellari, ut Matth. 21. Hieronymus, & Origenes testantur.

Alio vero modo regnum caelorum solet significare Ecclesiam militantem, ut passim est in Euangelio: & hoc modo potestas spiritalis datae Christo ad regendam Ecclesiam, & recipiendi intra illam, vel separandi ab illa quos oportuerit, clauium nomine significari potest. Et est acceptio valde usurpata a Sanctis Patribus, ut videre est in Augustino, & aliis supra

Sicut potestas Ecclesiastica multiplex, ita multiplura clavis regni caelorum.

Potestas clauium definitur.

Obiect. sol. 1. 1. 1.

4

Ambrosio.

Distinctio clauium scientiae & potentiae.

8

supra citatis. Nam, quia per traditionem clauium solet dari possessio vel domus, vel ciuitatis, aut regni; ideo etiam per hanc clauium traditionem potestas haec merito significari dicitur: quae varios habet actus, nempe ferre leges, dispensare, & alia huiusmodi. Et ideo in communi de illa tractari solet in materia de legibus, & in particulari in variis materiis, vt de voto, de matrimonio, & similibus: & specialiter de actu huius potestatis quatenus potestas coercitiua est, & potest ligare & soluere per censuras, tractandum est infra in materia de censuris. Et haec maxime dicitur clavis potentiae, quia nihil aliud est quam potestas praecipendi, gubernandi, &c. Et hoc modo videntur Ambrosius serm. 66. & Augustinus serm. 27. de Sanctis, accommodasse Petro clauem potentiae, Paulo vero clauem scientiae: nam, licet vterque veramque habuerit, tamen per quandam eminentiam sic appropriantur. Rursum hoc modo etiam in lege veteri fuerunt claves, licet minus perfectae. Vnde Luc. 11. ait Christus Dominus, *Vae vobis Pharisaeis, qui accepistis clauem scientiae.* Et de potestate gubernandi res est manifesta.

Alio modo accommodatur illa diuisio ad potestatem remittendi peccata: in cuius actu vel vsu duo distingui possunt, quae in omni iudicio sunt necessariae. Vna est cognitio seu examinatio causae: aliud est sententiae prolatio. Dicta ergo potestas ad vtrumque est sufficiens, & secundum priorem rationem vocatur clavis scientiae. Non est enim haec scientia priuata, quae requiritur in confessore, vt putauit Magister sententiarum, illa enim non est potestas: vnde esse potest in eo, qui claves non habet: & e conuerso claves esse possunt sine tali scientia. Est ergo potestas & autoritas ad examinandam conscientiam poenitentis, & interrogandum iuridice in illo foro ita vt ille teneatur veritatem fateri. Clavis autem potentiae dicitur facultas absoluedi & remittendi peccatum ferendo sententiam. Quam explicationem optime insinuarunt Ambrosius, & Augustinus in dictis sermonibus, Clavis inquit, dicenda est, quia peccatorum corda reserantur, menti secreta panduntur, & quidquid in intrinsicis clausum teneatur, in palam rationabiliter manifestacione producit: clavis inquam est, quae conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad remissionem mysterij salutis includit. Et haec etiam expositio est eommunis Theologorum diff. 18. 19. & 20. Scotus diff. 19. q. 1. art. 3. quem sequitur Conradus tract. 1. de contractibus q. 2. contendunt has claves scientiae & potentiae significare in proposito non solum diuersos actus, sed etiam potestates realiter distinctas, quarum vna separabilis est ab alia de potestate absoluta. Sed haec quaestio nullius momenti mihi videtur, quia, vt dixi, haec potestas, & consequenter claves, praeter characterem nihil reale & physicum ponunt in homine: & ideo non possunt in re habere distinctionem, nisi quatenus a Deo deputantur ad varios actus, & ita in ordine ad illos est distinctio secundum rationem, & secundum quandam extensionem moralem; tamen potestas in se vna est, integra, & perfecta: quod si daretur ad vnum actum, & non ad alium, esset eadem potestas, inchoata tamen & imperfecta.

An inter has claves numeretur potestas iurisdictionis.

Sed dicit aliquis: Cur potestas iurisdictionis non numeratur inter has claves? Responderi potest primo ex Caietano tom. 1. Opuscul. tracta. 3. de Roman. Pont. cap. 5. quod Theologi tantum diuiserunt claves, vt pertinent ad potestatem ordinis, quia illa est propria & per se potestas: iurisdictioni autem magis videtur quasi conditio necessaria, & applicatio materiae. Aliter Marianus Victor in libr. de Confessione ca. 12. concedit iurisdictionem significari no-

mine clavis: & ita ipse tres claves distinguit, scientiae, potentiae, & iurisdictionis. Et non est dubium, quin metaphora clavis in Scriptura, & Sanctis se extendat ad potestatem iurisdictionis: nam potestas ligandi & soluendi per excommunicationem tantum est potestas iurisdictionis, & passim significatur nomine clavis, & potestas Ecclesiae Petro promissa sub nomine clauium, maxima ex parte in iurisdictione consistit. Vnde ego dicerem, hanc diuisionem clavis scientiae, & potentiae applicatam ad potestatem remittendi peccata, de qua agimus, tam conuenire in potestatem ordinis, quam in potestatem iurisdictionis, quia vtraque est, & ad inquirendam conscientiam peccatorum, & ad absoluedum, vel ligandum: & ita potest dari haec diuisio de tota integra potestate, vt ordinem, & iurisdictionem comprehendit.

Ex dictis ergo constat, qui sint actus istarum clauium: sicut enim haec claves supradictam potestatem significant, ita eosdem actus habere videntur, scilicet ligare, & soluere: & hos illis communiter tribuunt Theologi. Caietanus vero diff. Opusc. &c. dicit, hos non esse actus adaequatos clauium, sed aperire, & claudere, qui metaphoricè amplius significant, & comprehendunt. Ligare enim, & soluere proprie tantum significant actus iudiciales: at vero claves non tantum hos actus iudiciales habent, sed etiam alios, scilicet illuminare, dispensare, regere, &c. qui omnes bene comprehenduntur sub metaphora claudendi, & aperiendi. Vnde infert, claves secundum actus suos adaequatos esse tantum in summo Pontifice, & ita soli Petro fuisse promissas Matth. 16. quoad actus vero inadaequatos ligandi & soluendi, communicari aliis. Quae doctrina in re quidem vera est, quia non est dubium quin claves vniuersales, & quae ad omnes actus se extendunt, specialiter datae sint Petro, & successoribus eius. Verum etiam est, illas claves varios habere actus, vt explicatum est, eosque sub dicta metaphora aperiendi, & claudendi posse comprehendendi. Adde vero etiam posse significari per actus ligandi, & soluendi, vt Christus Dominus significauit Matth. 16. & explicant ibi Hieronymus, Chrysostomus, & alij, & Augustinus supra citatis locis, & 1. de Doctr. Christian. c. 17. & 18. & Gregorius lib. 4. epist. c. 76. & est epistola 32. Nam haec potestas clauium est potestas aliquo modo superioris: quidquid autem superior per suam potestatem operatur, potest optime ad illos actus reuocari: nam si dispensat, soluit: si praecipit, ligat, Matth. 23. *Alligant onera grauias, & importabilia.* Quare absolute etiam est verum, has claves esse communicatas aliis a Petro, quoad potestatem quidem ordinis perfecte, quoad potestatem vero iurisdictionis ex parte, & dependenter a capite, vt suo loco infra dicitur. Vnde Eusebius Emis. Euseb. nus homil. in natali S. Petri, circa id, *Tibi dabo claves.* Emiss. Petro, inquit, principaliter dicitur: ceterum tamen Apostolis etiam dictum esse intelligi debet, & Episcopis, & Sacerdotibus: *Istis enim & clavis, & potestas a Deo data est, vt non solum Ecclesiam, sed etiam caelos aperiant.*

Ad rationes ergo dubitandi facile responderetur ex dictis. Nam in locis illis Matth. 16. & 18. verum quidem est nomine clauium aliquid amplius comprehendendi praeter hanc potestatem, de qua nunc agimus: nam supra etiam diximus potestatem ordinis, & iurisdictionis generaliter sumptam alia comprehendere, praeter potestates ad hoc sacramentum poenitentiae necessarias. Et ideo non dixi, solum hanc potestatem remittendi peccata esse claves, sed ipsam sub clauibus contineri. Si vero in illis obiectionibus asseratur, in praedictis locis Matthaei claves ita significare aliam potestatem, vt hanc non comprehendant, sic falsum est quod sumitur, cum illa verba generalia sint de potestate ligandi, & soluendi, aperiendi, & claudendi regnum caelorum, vt in sect. 2. satis expendimus.

Atque

Ambrosius Augustinus

Lucas

6. Eadem diuisio accommodatur potestati remittendi peccata.

Sicut Conradus

Caietanus Opusculum

Marianus Victor

8. Qui sint actus istarum clauium. Caietan.

Matth. Hieron. Chrysost. August. Gregor.

Euseb. Emiss.

io
Rationibus
dubitandi
satisfit.

Atque hinc tandem intelligitur, has claves, prout nunc sūt in Ecclesia, esse proprias legis gratiae: nam, licet in lege veteri aliquo modo fuerint claves, vt diximus, proprie tamen illae non erant claves regni caelorum, quia tunc non erat propria potestas remittendi peccata, nec dandi gratiam, vt supra dictū est in materia de sacramentis in genere: & quia tunc nondum erat per Christum aperta ianua regni caelorum. Cetera quae de subiecto, vsu, & effectu clauium tractari solent, partim in praecedentibus sectionibus tacta sunt, partim dicentur infra cum a gemus de ministro huius sacramenti, & de actibus eius, scilicet de absolutione, & satisfactione seu poenitentiae impositione.

A ideo illius est proprium hoc beneficium, vt etiam Concilio Tridentinum docuit sess. 14. cap. 1. Illa ergo confessio Adami magis fuit interior ad Deum, quam exterior ad hominem: sicut illa Dauidis Plaf. 31. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino. Confessio autem, quae fiebat in lege veteri, solum erat generalis, & ceremonialis, neque ad internam remissionem peccatorum, sed ad irregularitates tollendas; nec de aliis peccatis, sed solum quantum in ipsa oblatione sacrificij pro peccato manifestabantur, licet fuerit umbra & figura huius sacramenti: quod etiam de confessione Iudaeorum ad Iohannem Baptistam dici potest. De hoc errore plura legi possunt in Medina tractatu 2. de Confessione in principio, & Nauarro de Poenit. d. 5. à principio.

Medina, Nauarr.

DISPUTATIO XVII.
De institutione, & necessitate sacramenti poenitentiae.



Explicita potestate remittendi peccata, quae est fundamentū sacramenti poenitentiae, agendum est de ipso sacramento. Et in hac disputatione tractamus an sit dictū postea de essentia, & partibus eius. Ne autem multiplicemus quaestiones, eadem inquirendo prius de sacramento, postea de confessione, suppono his vocib. apud sanctos Patres eandem rem significari. Aliquando enim vocatur hoc sacramentum absolute Poenitentia, scilicet sacramentalis, seu propria Christianorum, vt est apud Symmachum Papam Apolog. contra Anastasium Imperatorem, vt refert Marianus Victor lib. de Confessione, c. 2. Aliquando vocatur Confessio seu Exomologesis, vt apud Cyprianum epist. 10. & 15. Vocatur etiam Reconciliatio seu Absolutio ex Augustino epist. 180. nominatur enim saepe totum à partibus. Vnde non est necesse agere de institutione singularum partium, sed totius: nam postea explicando, quibus partibus hoc totum constet, sufficienter erunt demonstrata.

Symmach.
Pap.
Marian.
Vict.
Cyprian.
August.

B Alter error est haeticorum huius temporis, qui negant sacramentum poenitentiae distinctum à Baptismo, quia ad salutem sufficere putant credere, & baptizari, iuxta illud Marci vlt. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Quamuis enim Lutherus ipse non tam aperte negauerit hoc sacramentum, tamen discipuli eius expressè negarunt in confessione VVitembergenſi, & Antuerpiensi, atque etiam Caluin. vt constat ex Ruaro artic. 3. Petro Soto contra priorem confessionem, & Tileran. contra posteriorem cap. 18. Sed hic error damnatus est in Concilio Constantiensi sess. 8. & 15. contra VVicleph, & in Florentino in Decreto Eugenij, & latius in Tridentino sess. 14.

Secundus error.

Ruaro.
Pet. Soto.
Tileran.
Concil. Constantiens.
Concil. Florent.
Concil. Tri.

C Christum reliquisse in Ecclesia speciale sacramentum, quod est medium ad veniētem peccatorum post baptismum commissorum: Prima veritas fidei.

Vnde duo sunt hic certa de fide. Vnum est reliquisse Christum Dominum in Ecclesia speciale quoddam sacramentum, quod esset remedium ad consequendam veniam peccatorum, quae post baptismum susceptum committuntur Ita definitur in dictis Conciliis: & patet ex tota praecedenti disputatione. Nam illa potestas non est excellentiae, & ideo habet determinatum actum, & modum operandi. Deinde est potestas exercenda inter homines in Ecclesia visibili: & ideo necesse est, vt per aliquod signum sensibile & humanum operetur. Rursus est potestas efficax de se: & ideo necesse est, vt illud signum sensibile, quo vtitur, habeat promissionem gratiae, quia sine illa non remittuntur peccata: signum autem efficax gratiae, & habens promissionem eius, est sacramentum nouae legis: ergo tali potestati necesseario responderet aliquod sacramentum nouae legis remissionem peccatorum, quae post baptismum committuntur. Ratio seu congruentia addi potest, quia non est minor necessitas in hominibus baptizatis, nec minus periculi in peccatis, quae post baptismum committuntur, quam in eis quae praecedunt: ergo ad Christi prouidentiam pertinuit remedium iniungere, quo regenerati possent à peccatis resurgere. Quam rationem attingit Concilium Tridentinum sess. 14. c. 1. Supra etiam aliam adduximus, quae significauit eleganter Patianus epist. 3. ad Simpronianum dicens, Sicut gentilem populum non est passus mori, ita & redemptum non passus extingui.

4

Concil. Tri.

Patianus.

Sacramentum hoc distinctum esse à sacramento Baptismi. Secunda veritas fidei.

Secundae veritatis fidei est, Sacramentum hoc in remedium actualiū peccatorum baptizatorū hominum institutum, distinctum esse à sacramento baptismi. Ita definitum est in Concilio Florentino, & Tridentino, & traditur ab antiquis Patribus. Cypriano ferm. de Ablutione pedum, & epist. 55. alias li. 1. epist.

Cyprian.

SECTIO I.

Vtrum Christus Dominus in lege noua sacramentum poenitentiae ab aliis distinctum instituerit.

2
Primum error.

Hic sunt duo errores extreme oppositi. Prior asserit hoc sacramentum exterioris confessionis antiquissimum esse, & institutum esse, vel ab ipso Deo in paradiso terrestri statim post peccatum Adae, quando illum interrogauit, Quid fecisti? vel in lege veteri, quando fuerunt instituta sacrificia pro peccatis, quae offerebantur praemissa quadam confessione. Vnde & de Iohanne Baptista legitur, quando coepit poenitentiam praedicare, Iudaeos ad ipsum accedentes confessos illi fuisse peccata sua. Hanc sententiam refert Glossa de Poenitentia d. 5. in principio. Referunt etiam quendam Petrum de Olina hunc tenuisse errorem, & damnatum fuisse in quodam Concilio Complutensi confirmato à Sixto 4. Fauereque illi videtur VValdensis 2. tom. de Sacramentis, cap. 140. dicens, confessionem non fuisse à Christo primo institutam, nam antea erat in lege veteri; Christum vero aliquid suppleuisse. Ille vero fortasse loquitur de confessione non sacramentali.

Glossin princip. de Poen. dist. 5.

VValdens.

De hac ergo confessione intellecta illa sententia omnino falsa est, quia potestas remittendi peccata nō fuit data hominibus ante Christum Dominum. Neque in lege veteri aut naturali erant sacramenta conferentia gratiam, aut culpas remittentia; praeter remedium originalis peccati, vt in superiori tomo est ostensum. Item decuit, vt in lege gratiae liberatius fieret peccatorum remissio, quam antea, &